# D. CHRISTIANI GOTTLIEB BVDERI

IVRIVM ET HISTORIARVM PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII FACVLTATISQVE IVRIDICAE ADSESSORIS IN ACADEMIA IENENSI

# DE FEVDIS SCEPTRI
## Vom Zepter-Lehn

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

## DISQVISITIO

EX
DIPLOMATIBVS MONIMENTISQVE
FIDE DIGNIS
ERVTA.

*EDITIO SECVNDA AVCTIOR.*

*IENAE*, LITERIS CRÖKERIANIS,
M DCC XXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

*D. D. I.*

# DE FEVDIS SCEPTRI EXPOSITIO.

## CAPVT PRIMVM DE ORIGINE ET PROGRESSV FEVDORVM SCEPTRI.

§. I.

Qui de percolenda curatius iuris prudentia iudicia tulerunt docti ſapientesque viri, per argumentorum ſingularium inueſtigationem commodisſime fieri poſſe, recte grauiterque pronunciarunt. Senſit hanc curam, vt alias legalis ſapientiae partes iam mittamus, Beneficiarii Iuris prudentia,



Digitized by Google

cum patria, tum Longobardica, in Germaniam noſtram recepta, cui ex ſolidiori partium * tractatione nouum lumen fuit excitatum. Quam accurate ex Teutonicarum Antiquitatum Theſauris, rariores Iuris clientelaris Germanici figuras, *vom Fürſten-Lehn*, *Herrn-Lehn*, *Kint-Lehn*, *Pfund-Lehn*, *Reit-Lehn*, *Sadel-Lehn*, *Schilt-Lehn*, *Schup-Lehn*, *Seß-Lehn*, eruerit ac illuſtrarit ſummus Vir IOANNES SCHILTERVS eruditisſimo ad *Ius Feudale Alemannicum* Commentario, omnes agnoſcunt, qui patria inſtituta amant. De *Feudis Vexilli*, vom *Fahn-Lehn*, plenam elegantisſimae eruditionis Diatribam par Schiltero ICtus NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS dedit. Qui tamen de *Feudis Sceptri* in Germaniae & Italiae Regnis olim frequentibus, ex inſtituto expoſuerit, neminem ſcimus. Illud ſane ſatis mirari non poſſumus, fuiſſe doctisſimos inque his rebus verſatisſimos Viros, qui *Sceptri* haec *Feuda* ſomniis eruditorum annumerarunt, quorum tamen & memoriam & iura tot Germaniae Italiaeque monumenta loquuntur. Quae cum ita ſint, nemo vitio nobis vertet, ſi argumentum nobile accuratius paulo excutiamus, atque origines & indolem *Feudorum Sceptri*, quantum per imbecillitatem noſtram & temporis anguſtiam fieri poteſt, inueſtigemus.

* Quales indicantur BIBLIOTHECAE IVRIS SELECTAE STRVVIANAE *Cap. XII. §. XI. p. 429.* Edit. VI. pluresque in ſelectarum Diſſertationum compilationibus comparent.

§. II.

§. II.

Sunt vero *Feuda Sceptri*, Feuda Imperii regalia, ſiue Territoria, ab Imperatoribus Romano Germanicis, per Sceptri Symbolum, ab anno 1122. Epiſcopis ac Praelatis Germaniae & Italiae data, hocque ſigno cum Territoriis regalia ac temporalia Iura, ſub obligatione fidelitatis, ſeruitiorum, ac aliorum quae inde fluunt, tradita & conceſſa. Deſcriptio Feudorum Sceptri.

§. III.

Nomen & appellationem habent, a ſigno in ſolennitate Inueſtiturae adhibito, nimirum *vel* a regali & imperiali Sceptro, * quod inter inſignia Imperii noſtri adſeruatur & argenteum leuiterque inauratum eſt, quodque inter Inueſtiturarum ſolennia, cum habitu Maieſtatico in regali throno conſediſſent Auguſti, adhibitum; *vel* alio Sceptro ad ritum Inueſtiturarum Epiſcopalium ſingulariter deſtinato, *vel* a *Baculo Iuriſdictionali* ** ad ſimilitudinem Sceptri forſitan efformato, qualem Auguſti in Iudicio conſedentes, varios iuriſdictionales actus peragentes, interque hos Epiſcopis ac Praelatis Feuda conferentes, manu tenuerunt. Nominis Feudorum Sceptri, inueſtigatio.

* Ex mente etiam GLOSSATORIS *Speculi Saxonici ad Tit. LX.* qui tamen more ſuo nugas admiſcet, compara exemplum infra *§. XII. XV. allatum.*

** Vti forte intelligendus GVNTHERVS, Poeta Hiſtoricus, ſumma Transactionis inter Henricum V. & Calixtum II. initae capita commemorans, *Ligurini Lib. I. v. 570.*



Digitized by Google

*Nec prius electum quenquam de iure ſacrandum*
*Quam Sceptro Princeps regalia praeſtet* eburno.

Quae verba, niſi licentia Poetica ſubſit, non de *Imperiali Sceptro*, quod ex argento eſt & nunquam eburneum fuit, ſed de *alio Sceptro*, accipienda.

## §. IV.

De Inueſtitura Secularium per Sceptrum heic non tractamus.

Per haec *Feuda Sceptri*, non intelligimus munus Epiſcopale & Eccleſiaſticum, quod vi ſummae poteſtatis & liberalisſimae Eccleſiarum dotationis, ante Henrici V. Imp. tempora Reges & Imperatores Germaniae per Inueſtituram *Annuli* & *Baculi*, vna cum bonis Eccleſiaſticis & Regalibus contulerunt, quamque poſt atrocisſimas contentiones Praeſul Romanus Calixtus II. extorſit; ſed Ducatus, Principatus, Comitatus, alia bona hisque nexa inſignia Iura regalia, liberali manu Eccleſiae conceſſa, de quorum origine atque indole vberius exponemus. Nec vti ex deſcriptione data apparet, heic differere animus eſt, de Feudis Secularibus per Sceptri traditionem datis; quorum in monimentis varia exempla proſtant.

## §. V.

Origo Feudorum Sceptri.

Origines *Sceptri Feudorum*, de quibus iam agimus, repetendae ex fatali illa Transactione, quae poſt maſculam Auguſtorum Iurium circa Inueſtituram per Annulum & Baculum defenſionem, demum A. S. M. C. XXII. in celeberrimo Wormatienſi Conuentu Henrico V. Imp. & Imperio, a

Calixto

Calixto II. P. R. huiusque in Germania adſeclis, patriae ſaluti parum ſtudioſis, variis artibus fuit expreſſa. Rei momentoſae ſeriem, malo CONRADI *Vrſpergenſis*, * verbis, quam meis exprimere: *Facto igitur vniuerſali conuentu, apud vrbem Vuangionum, quae nunc Wormatia dicitur, ſicut longum, ita & incredibile memoratu eſt, quam prudenti, quam inſtanti, quamque per omnia ſollicito cunctorum Procerum conſilio, pro pace & concordia per vnam vel amplius hebdomadam certatum ſit, donec ipſe, in cuius manu cor Regis eſt, omnem animoſitatem Auguſti, ſub Apoſtolicae reuerentiae obedientiam, cauſa matris Eccleſiae, vltra ſpem plurimorum, inflexit. Mox tamen ab Apoſtolicae ſedis Apocriſiariis in Communionem receptus, tam ipſe Imperator, quam vniuerſus ſibi ſubiectus exercitus, immo generali abſolutione cunctis hoc ſchismate pollutis, per auctoritatem Apoſtolicam facta, qualiter* ECCLESIASTICAS INVESTITVRAS, *ceteraque ſpiritualia negotia, quae tanto tempore Reges Teutonici adminiſtrauerant, quaeque ipſe, ne regni diminueretur honor, nunquam vita comite, ſe dimiſſurum propoſuerat, humiliatus pro Chriſto, coram multitudine maxima abnegauerit & in manus Domini Oſtienſis, ** ac per ipſum Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſuaeque in perpetuum ius Eccleſiae demiſerit, rurſumque qualia ſibi* OB HONOREM REGNI OBSERVANDVM *autoritas Apoſtolica conceſſerit, vtriusque partis melius edocebunt ſubter annotata ſcripta:*

Inde recitat Conradus Renunciationem Regiam Inueſtiturae per Annulum & Baculum.

Poſt

Poſt Pontificis documentum ſubiungit, huius ſententiae:

*EGO CALLISTVS Seruus Seruorum DEI dilecto filio ſuo HENRICO DEI gratia Romanorum Imperatori Auguſto concedo Electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni, quae ad Regnum pertinent, in praeſentia tua fieri absque Simonia & aliqua violentia: vt ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Prouincialium conſilio vel iudicio ſaniori parti aſſenſum & auxilium praebeas. Electus autem REGALIA PER SCEPTRVM A TE RECIPIAT, exceptis omnibus, quae ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur; & quae ex his iure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii* (i. e. Imperio, Regno Italiae, Arelatenſi) *conſecratus, infra ſex menſes REGALIA per Sceptrum a te recipiat. De quibus vero mihi querimoniam feceris, ſecundum officii mei debitum, auxilium meum praeſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua ſunt vel fuerunt tempore huius diſcordiae. Data Anno milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo, nono Calendas Octobris.* Per hanc Transactionem duplex Inueſtitura Epiſcoporum excogitata, vna, quae a Praeſulibus Romanis *Annulo* & *Baculo*, altera quae ab Imperatoribus per *Sceptrum* fieret.

* CHRONICI *fol. 280.* Edit. Argentoratenſis ap. *Cratonem Mylium.*

** *Lamberti* ſcilicet de *Fagnano* Bononienſis, compara FERDINANDI VGHELLI *Italiam Sacram. Tom. I. p. 61.*

§. VI.

§. VI.

His ergo pactis, tanquam baſi, *Feuda Sceptri* Eccleſiaſticorum Principum innituntur. Placita equidem Feudorum Longobardica, de horum conſtitutione & natura, licet in Lombardia fuerint frequentata, expreſſis verbis, * non exponunt; Tacent binae illae Iuris beneficiarii patrii compilationes Ius Feudale Saxonicum iuxta & Alemannicum. Quod tamen ſilentium ſententiae negantium exiſtentiam *Feudorum Sceptri*, parum roboris adfert, cum certum ſit harumque compilationum accuratior inſpectio doceat, pauciora Feudorum Imperii Regalium argumenta fuiſſe tacta, ſolemnitatum inprimis & rituum Feudalium raram fieri mentionem, cum certae fidei diplomata & alia documenta feudalia, quorum inſignem apparatum beatiora noſtra ſecula protulerunt, luculentum ferant teſtimonium.

mentio Feudorum Sceptri cur non fiat in Compilationibus Feudalibus.

* Inter Vaſallos tamen Epiſcopos Italiae numeratos patet ex *2. F. 27. 2. F. 52. 2. F. 55. 2. F. 89.* add. Text. *2. F. 40.* vbi de Felonia Epiſcoporum.

§. VII.

Neque tamen exiſtimandum, *Feudorum Sceptri* exiſtentiam ſolis monimentis hiſtoricis ac diplomatibus inniti, ſeruarunt etenim horum memoriam patriarum Legum & Conſuetudinum compilationes, vtrumque nimirum Ius Prouinciale, *Saxonicum*

F. S. mentio in Collectionibus Iuris S. & S.

*xonicum* & *Sueuicum*, quae de allodialibus Iuribus plenius exponentes Feudalia ſubinde admixta exhibent haecque inter de Feudis noſtris clarisſimam commemorationem. Ita enim COMPILATOR SAXO *Lib. III. art. LX.*

*Der Keyſer leibet allen Geiſtlichen Fürſten Leben mit dem Zepter, und allen Weltlichen Fürſten Fahn Leben leibet er mit den Fahnen.*

Vel vti lingua antiqua Saxonica in Codice Membranaceo egregio Bibliothecae noſtrae Publicae exprimitur:

*Der Keyſer liet alin geiſtlicbin Fürſten len mit dem Ceptro alle wertliche Vanlebn liet her mit Vanen.*

Copioſius & diductius vero SPECVLVM SVEVICVM *Lib. I. Cap. XXXIII.* ſecundum Codicem Illuſtrisſimi C. WVRMBRANDII, *Edit. Bergerianae, p. 172.*

*Von Tzeppter - leben.*

*So man Biſchoff kewſet oder Aeppt oder Aepptäſſin die gefürſtet ſind die mugent nicht leben geleiben ee das ſie irew recht empbabent von dem chunig der Kayſer ſol leiben allen gaiſtlichen furſten irew recht mit dem tzepter und allen weltlichen fürſten mit dem vanen der chünig ſol chain vanleben in ſeiner hant haben jar vnd tag er ſull es binleiben.*

Vel vti verba extant in Editione, Argentoratenſi Hupuffiana antiquiore:

*So man*

*So man Biſchoffe kieſet, oder Aepte oder Aeptiſſin die gefürſtet ſeind, die moegen nicht kein Leben geleyben ee daß ſy vor ihr Leben und ir Rechte empfahent von dem Kunig. Der Keiſer ſol leyben allen geiſtlichen Fürſten ire Recht mit dem Zepter und allen weltlichen Fürſten mit dem Vanen. Der Kunig ſol dhein Van Leben in ſeiner Gewalt haben Iar und Tag, er ſol es hin leyben.* Contrarium quidem expromere videtur *Ius Feudale Alemannicum Cap. XLII.* vbi: *Etliche Biſchöffe empfahen Fahn-Lehn und etliche Gerichte.* Quem tamen textum de illis Epiſcopis & Praelatis accipiendum, qui praeter *Feuda Sceptri*, Feudis Vexilli inueſtiti, eruditisſimus SCHILTERVS *in I. F. A.* ad hunc locum recte monuit.

## §. VIII.

Conſentit *Imperii Vſus* & Exemplorum apparatus. Dolendum quidem eſt, cum Scriptores Rerum Germanicarum vniuerſales, tum Hiſtoricos de Epiſcopatibus Patriae & Italiae ſingulares, quando de ſuſceptione Regalium a Praeſulibus facta memorant, breuisſimis verbis exponere: *Regalia ſuſcepit; Regalibus donatus eſt*, nulla rituum & ſolemnitatum addita mentione, cum in recenſendis rebus fabuloſis ad nauſeam legentium vsque vberes ſint & copioſi. Adſunt tamen locupletes ex vtroque Regno teſtes & documenta. F. S. praxis in Imperio R. G.

§. IX.

Teſtimonium de Inveſtitura per Sceptrum ſub primo acquirente.

Primum conſideranda veniunt tempora Henrici V. Imp. ſtrenui Inueſtiturae per *Annulum* & *Baculum* defenſoris, & primi poteſtatis per *Sceptrum* Eccleſiaſticos de Regalibus inaugurandi, acquirentis. De cuius iure ipſa, quam exhibuimus, Transactio, certisſimum dat teſtimonium, adiungamus tamen aliud magni omnino momenti OTTONIS *Friſingenſis* Epiſcopi, qui rerum Imperii omnium & Feudalium peritisſimus, Henrici noſtri ſororis filius, huius geſtorum aetate proximus, callentisſimusque, de ſe ſuaque fide *L. VII. c. XI.* ſcribit: *quae recentis memoriae ſunt* (ab an. ſc. 1106. quo Henricus V. Patrem imperio exuit) *a probabilibus viris tradita, vel a nobis ipſis viſa & audita ponemus*, hic, ipſe Epiſcopus, de hac Transactione ita * habet: *Privilegium ergo de hoc Eccleſiae ſcribitur ac IPSI rurſum, vt ELECTI tam CISALPINI, quam TRANSALPINI non prius ordinentur Epiſcopi, quam regalia de manu eius per SCEPTRVM SVSCIPIANT, ſcripto confirmatur.* Quis ergo de Inueſtitura per *Sceptrum* ſub Henrico V. dubitabit? cum aperte clamet Transactio, conſtetque plene, quam fuerit Henricus Iurium ſuorum retinendorum cupidisſimus, licet quantum quidem ſcimus, pauciora renouatarum Inueſtiturarum exempla exſtent, breui illo inter annum 1122. Transactionis factae, & 1125. mortis Auguſti annum.

* CHRONICI *Lib. VII. c. XVI.*

§. X.

§. X.

Addidit equidem *Friſingenſis* Praeſul OTTO, ſuo quod iam laudauimus teſtimonio: *Romanos dixiſſe, hoc*, nimirum Inueſtituram per Sceptrum: *pro bono Pacis ſibi* (Henrico V.) *ſoli & non Succeſſoribus datum.* Sed non ſufficiebat in re tanti momenti Romanorum, Auguſtis Iuribus inimicorum, ſententia. Transactionis ipſius verba de Iure Henrici V. tantum perſonali non accipienda, cum alias ex rationum paritate, ceſſio Inueſtiturae per *Annulum* & *Baculum* Calixto II. P. R. facta etiam pro temporaria fuiſſet habenda. Perpetuum erat Ius Auguſtorum, quando Praeſules ad reſtituendos ſecularis Iuris Ducatus, Comitatus, Regalia moueri cogique haud potuiſſent. Qua de cauſa, his Romanorum cauillationibus, quibus Transactionis, durae omnino Iuribus Auguſtis, fructus eripere tentabant, permoti Germani, cum extincto Henrico V. a. 1125. d. xxx. Auguſti LOTHARIO II. Saxoni, frequentiſſimis Moguntiae Comitiis, Imperii decus deferrent, de validitate huius Transactionis prouide decreuerunt: *Concordantibus*, ſcribit HISTORICVS * *itaque in Electione Regis vniuerſis Regni Principibus, quid IVRIS REGIAE DIGNITATIS IMPERIVM, quid libertatis Reginae coeleſtis, id eſt, Eccleſiae, Sacerdotium, habere deberet*, STABILI RATIONE *praeſcribitur, & coeptus vtrique honoris modus Spiritu Sancto dictante, praefigitur. Habeat Eccleſia libertatem, quam*

Praxis & Exempla ſub Lothario II. Imp.

*ſemper optauerat: habeat & Regnum iuſtam in omnibus potentiam, quam ſibi per karitatem quaecunque ſunt Caeſaris ſine caede ſubiiciat. Habeat Eccleſia liberam in ſpiritualibus electionem, nec regio metu extortam, nec praeſentia Principis, vt ante, coartatam, vel vlla petitione reſtrictam:* Habeat Imperatoria dignitas electum libere, conſecratum canonice,* REGALIBVS PER SCEPTRVM, *ſine pretio tamen,* INVESTIRE SOLENNITER, *& in fidei ſuae ac iuſti fauoris obſequium (ſaluo quidem Ordinis ſui propoſito)* SACRAMENTIS *obligare ſtabiliter.*

* Vid. Narratio de Electione Lotharii Ducis Saxoniae, in *Quaternione Veterum Monumentorum* illuſtris IOHANNIS GEORGII ECCARDI *p.* 47. & inter Reuerendi Patris Domini HIERONYMI PEZII *Scriptores Rerum Auſtriacarum Tom. I. f.* 570.

## §. XI.

Vi & virtute huius Ordinum Germaniae Decreti, quo Transactio inter Henricum V. & Calixtum II. inita, egregie fuit confirmata, & adverſus Romanorum cauillationes roborata, Inueſtituram Regalium Epiſcopis Germaniae & Italiae fecit. Enim vero, licet, excitatus modo de Electione Lotharii HISTORICVS Narratione ſua, iam adductis, ſaltim adiungat: *Denique Rex L. electus ab omnibus, expetitus ab omnibus, ſequenti die in Principum concione conſedit. Et primo ab* EPISCOPIS *vniuerſis ſcilicet XXIV. qui tunc aderant, & Abbatibus quam pluri-*

*plurimis pro Imperii reuerentia, pro confirmanda Regni & Sacerdotii vnanimi concordia & pace perpetua* FIDELITATEM *non indebitam* DE MORE *ſuſcepit, a nullo tamen ſpiritualium, vt moris erat, hominium, vel accepit, vel coegit;* de *Sceptri* traditi ſolemnitate taceat, ex antea laudato tamen firmiter concludendum decreto, ea caeremonia factas fuiſſe Inueſtituras Epiſcoporum.

## §. XII.

Omnes etenim ſcrupulos eximunt, factae per *Sceptrum* Epiſcoporum Germaniae & Italiae Inaugurationis iterationes, quas imperante eodem Lothario, obſeruauimus. Enim vero ipſum Germaniae Primatem & Archi-Epiſcopum *Magdeburgenſem* S. NORBERTVM per *Sceptrum* de inſignibus Archi-Praeſulatus Feudis iuueſtiuit, teſte auctore CHRONICI *Magdeburgenſis:* * (Magdeburgenſes) *communicato Regis conſilio Norbertum elegerunt. Qui mox cum Sacramento Regni debito regalibus ab eo per* SCEPTRVM *inueſtitus.* Quod vnicum exemplum ad comprobandum in Germania vſum, ſufficere poteſt. Addimus ex aliis partibus, *Italiae*, illuſtre exerciti huiusmodi Inueſtiturae iuris, teſtimonium, petitum e *Chronico* Monaſterii Caſinenſis, principis inter Coenobia Benedictinorum, quo continuator Chronici PETRVS DIACONVS, eiusdem Coenobii Monachus, vbi de electione & inueſtitura *Guibaldi* Abba-

Abbatis agit, ſequentia ** memorat: *Conueniunt poſt haec in Camera, in qua Imperator morabatur, Fratres, cum Richiza Auguſta, & cum Pelegrino Patriarcha Aquilegienſi, Epiſcopis, Archi-Epiſcopis, Abbatibus, & vniuerſis Imperii Optimatibus, coeperuntque eum opportune importune monere de tali tantoque negotio: ſed ille conſtanter renuens, nunquam ſe tam grauem, tamque immenſam ſarcinam ſuſcepturum, affirmabat. Cernens itaque Imperator Guibaldum modis omnibus reluctare, Fratribus illum tradidit, quem ſuſcipientes, in Caſinenſi Monaſterio Abbatem, ordinauerunt, & ab Imperatore, per* ROMANI IMPERII SCEPTRVM, *quod manu geſtabat, de Caſinenſi Abbatia, cum omnibus poſſesſionibus ſuis, ſicut a temporibus Iuſtiniani vsque ad illum diem Monaſterio conceſſa fuerant,* EST INVESTITVS, *dicens ad eum, fidelitatem a vobis de Caſinenſi Abbatia ideo non accipimus, quia dudum nobis de Stabulenſi Coenobio fidelitatem dediſti; nolo vt ſucceſſores Tui te trahant in exemplum & dicant ſe Succeſſoribus meis de Caſinenſi Coenobio ideo non facturos fidelitatem, quia a te noſtri Imperii Maieſtas non exegit: ſed conſuetudinariam fidelitatem, quam a temporibus Caroli, & deinceps Abbates de Abbatia Caſinenſi fecerunt, facere ſtudeant.* Conſentit narrationi Hiſtorici amplisſimum Lotharii Auguſti DIPLOMA *** quo *Guibaldi* huius Abbatis inſtitutionem a ſe factam commemorat, & bona atque Iura Coenobii longa ſerie enarrans, confirmauit, vbi ſub finem decernit: *Obeunte per Succesſiones Caſinenſi Abbate libere, & canonice de ſuis, quem digniorem inuenerint eligant, ſecundum Regulam*

*Regulam Beati Benedicti, moribus & vita laudabili integrum, lege diuina & humana inſtructum &c. Electum Nobis per* SCEPTRVM *inueſtiendum repraeſentent, aut per Nuncios ſuos, puritatis electionis ſuae, Curiae noſtrae declarent; vt per nos probata, firmata, & inconuulſa permaneant. Si nos in expeditione Nuntii inuenerint, Cappellanis Curiae noſtrae pro hoſpitio, iuxta morem antiquum iniungentes, tum demum laeti a nobis, completo ſuo negotio redeuntes,* INVESTITVM *Apoſtolicae Sedi, ſine omni venalitate, vel alicuius pretii exactione conſecrandum exhibeant.* Ex his abunde de Iure Auguſtali conſtabit. Nolumus itaque plura exempla cumulare, quae diligentibus, Rerum Germanicarum ſcriptorum, lectoribus, vel non quaeſita, ſub oculos veniunt.

* *Tom. II. Collection. Meibomianae p. 326.*

** *Lib. IV. Cap. CXXIV. p. 569.* editionis, quae ANGELI de NVCE Abbatis Caſinenſis Notis illuſtrata.

*** Datum Anno Dominicae Incarnationis MDXXXVII. Indictione prima Anno Regni D. Lotharii XIII. Imperii VI. Actum apud Aquinum, ex Archiuo Monaſterii Caſinenſis productum extat in CORNELII MARGARINI dictae Congregationis Abbatis & Generalis Archiuiſtae, *Bullarii Caſinenſis*, Tomo Secundo, qui *Tuderti*, *1670. f.* prodiit *p. 153.* excitata vero verba *p. 157.* comparent.

## §. XIII.

Sed illud maxime exquirendum, ad quae vsque tempora durauerint per *Sceptrum* Eccleſiaſticorum Inueſtiturae? Qua in quaeſtione, lubentes confi- *ad quae tempora durauerint per S. Inveſtiturae.*

confitemur, nos temporis anguſtia excluſos, ſingulares de Epiſcoporum Germaniae & Italiae inſtitutione, narrationes omnes, Inueſtiturarum, Donationum, Confirmationum Diplomata & Chartas, Scriptores, Germanicarum & Italicarum rerum, Eccleſiarum quoque perquirere haud potuiſſe, maxime quum multi breuem ſaltim & generalem de collatione regalium expoſitionem ſiſtant, indeque certo Inueſtituram per *Sceptrum* ſemper factam, concludi non poſſit, id tamen deprehendimus, ad Seculi XV. tempora & vltra forte ritus hoſce obtinuiſſe.

## §. XIV.

Exempla Inueſtiturarum per Sceptrum poſt Interregnum.

Poſt fatalis Interregni tempora, Inſtaurator Germaniae Rudolphus Habspurgicus cum Imperiale *Sceptrum* non adeſſet per Crucis ſignum quidem inueſtiuit, ipſe tamen & Vaſalli agnouerunt, *Sceptrum* omnino fuiſſe adhibendum, teſte HENRICO STERONE * qui ſcribit: *Rudolphus ſtatim exegit a Principibus Clericis & Laicis fidei iuramentum. Quod cum recuſarent, propter SCEPTRI abſentiam, ipſe electus ſignum Crucis accipiens talia dixiſſe fertur: Ecce ſignum, in quo nos & totus mundus eſt redemptus, & hoc ſigno vtamur LOCO SCEPTRI. Et deoſculata Cruce omnes Principes, tam ſpirituales quam ſeculares ipſam Crucem LOCO SCEPTRI oſculantes, recipientes FEVDA, ſibi fidelitatis iuramentum praeſtiterunt.* De eodem *Rudolpho I.* teſtatur Diploma c. a. 1274. vbi: *Stipati caterua*

*terua multiplici inclitorum Principum ſacri exornat Imperii Principatum - - Nos (itaque) ſpeculo circumſpectionis regiae, ſpeculantes honorificentiam venerabilis Abbatis Vlrici Monaſterio Abbatiae titulo praeſidentis, eundem collegio noſtrorum Principum aggregantes,* SCEPTRO REGIO, PRINCIPATVS *apicibus fecimus inſignitum; Mandantes vniuerſis praedictae Abbatiae Miniſterialibus, Militibus, Subditis & Subiectis, quatenus eidem tanquam ſuo Principi pareant.* Non vrgebimus iam DIPLOMA ** *Adolphi* Romanorum Regis, cuius datum in *Franchenfurt* Idus Nouembris Indictione 9. anno Domini 1296. quo teſtatur: *ſe Philippum Tridentinum Epiſcopum tanquam ſuum & Imperii Principem ad beneuolos applauſiuae dulcedinis admiſiſſe amplexus, Regalia Feuda Principatus Pontificalis, quem obtinuerit ipſi conceſſiſſe & eundem Epiſcopum inueſtitiſſe de eisdem adminiſtrationem temporalium & Iurisdictionem plenariam Principatus eiusdem Eccleſiae committendo;* generale enim eſt nimis, ſuſpicionem tamen facit, vſitatam hoc aeuo adhuc fuiſſe per *Sceptrum* Inueſtituram, qui expenderit ſucceſſoris ipſius *Henrici VII.* Imperatoris Iurium Auguſtorum vindicis ſempiterna memoria digni amplisſimum DIPLOMA, **** cuius Datum & Actum in Ciuitate Mediolanenſi in Archi-Epiſcopali-Palatio anno Dominicae Natiuitatis 1311. IV. Non. Febr. Indict. IX. Regni Henrici VII. quo omnia Priuilegia Eccleſiae Cumanae conceſſa recenſentur, confirmantur, tandemque Leoni II. Epiſcopo & Principi Regalia conferuntur, vbi ſignificanter: *receptaeque Eccleſiae corporaliter praeſtito iuramento ipſum Leonem Epiſcopum*

*ſuo nomine, & quo ſupra omni ſolemnitate ſeruata* PER SCEPTRVM, *quod in manu noſtra gerebamus, de praedictis omnibus auctoritate praedicta inueſtiendum corporaliter duximus ac etiam inueſtimus, concedentes &c.* Carolus porro IV. Imp. a. 1361. *Georgium* Abbatem *S. Galli* inueſtit, per *Sceptrum Imperialis*, vt moris eſt *eminencie*, oſculo comitante. † Idem *Carolus IV.* a. 1366. *Iohannem Brixienſem* Epiſcopum per *Sceptrum* inueſtit. †† Idem *Imperator* translatum a *Numburgo* ad *Wirzburgenſem* Epiſcopatum *Gerhardum*, inueſtit *Sceptro Imperiali* & aliis caerimoniis in talibus conſuetis & obſeruari debitis, a. 1372. ††† Vnde ſane praxis Inueſtiturarum Seculi XIV. clariſſime eluceſcit.

* Apud FREHERVM *Rerum Germanicarum Tom. I. p. 559.*

** inſertum eſt FERDINANDI VGHELLI *Italiae Sacrae Tom. V. pag. 623.* Edit. Venetae *Coleti.*

*** in CHRISTOPHORI HARTMANNI *Annalibus Heremi deiparae Matris* in *Vita* Abbatis *Vdalrici II.* p. 260.

**** Extat apud excitatum VGHELLVM *Tom. V. p. 306.*

† Vide Literas apud ill. GLAFEY *Anecdotorum* P. I. p. 544.

†† LVNIG *Grundveſte Europaeiſcher Potenzien Gerechtſame* T. I. p. 752.

††† *Literae Inueſtiturae* extant in perilluſtris Domini de LVDOLF *Symphorematis Conſultationum & Deciſionum Forenſium* Tomo II. p. 551. Plura *Exempla* Inueſtiturarum Epiſcopalium per *Sceptrum* ſub *Carolo IV.* & *Sigismundo* A. A. vide in B. C. G. HOFFMANNI Diſſertatione praeclara de *Succeſſione Clericorum in Feuda* p. 15. 16.

§. XV.

## §. XV.

De vſu Seculi XV. teſtimonium fert Friderici III. Imp. DIPLOMA, * cuius Datum Venetiis 13. die Menſ. Febr. anno Domini 1469. Regnorum ſuorum Romani 29. Imperii 17. Hungariae vero 10. quo profitetur: *ſe Iohanni Epiſcopo* TRIDENTINO, *recepto prius ab eo, Fidelitatis, Homagii & Subiectionis iuramento debito & conſueto, vniuerſa & ſingula Regalia*, nec non temporalia, *ſiue Feuda Eccleſiae Tridentinae, cum Cerimoniis, in talibus fieri conſuetis & obſeruare debitis*, contuliſſe. Generaliter quidem fateor poſita ſunt huius Diplomatis verba, aſt omnem dubitationem eximit alia eiusdem Friderici III. Inueſtitura, quam ex GALLANDI Tractatu *de Franco Allodio p. 246.* indicauit eximio opere de *Concordia Sacerdotii & Imperii Lib. VIII. c. XXI. pag. 1206.* Pariſienſium quondam Archi-Epiſcopus PETRVS de MARCA, vbi Auguſtus *Tullenſi* Epiſcopo: *vniuerſa & ſingula Regalia, nec non temporalia, ſiue Feuda dictae ſuae Eccleſiae Tullenſis --- cum Sceptro Regali & aliis Ceremoniis in talibus fieri conſuetis contulit & ipſum de eisdem inueſtiuit.* Idem doctiſſimus Archi-Praeſul ſubiungit, Carolum V. eundem morem reuocaſſe anno 1522. ſed nullum adfert teſtimonium. *Waltherus* certe de *Cronberg, Magiſter Ordinis Teutonici*, ab Imp. *Carolo V. vexillis* inueſtitus tanquam Eccleſiaſticus Princeps *Sceptrum Imperiale* attigit. ** Exinde difficile eſt certo definire, quo tempore Sceptro inueſtiendi ritus deſierit.

Vſus Saec. XV.

 * Apud

Digitized by Google

* Apud eundem VGHELLVM *Tom. V. p. 639.*

** Vide LÜNIG *Corpore Iuris Feudalis Germanici* T. I. f. 414. 415.

## §. XVI.

Sceptri & Vexilli Inueſtitura quando promiſcua facta.

Illud non omittendum, iis temporibus, quibus obtinebant omnino *Sceptri Feuda*, diuerſos, ex Germaniae maxime Praeſulibus, etiam *Vexillis* fuiſſe inueſtitos. * Id ab eo tempore vſu venit, quo praeter Terras Praeſulatui nexas *die Stiffts-Lande*, quae *Feuda Sceptri*, variis titulis, alios Ducatus, Principatus, Comitatus, per *Vexilla* ſecularis conditionis Vaſallis traditos, adquiſiuerant, ** quos vſitata ceremonia a Dominis directis ſuſceperunt, vti factum Philippo Colonienſi Archi-Epiſcopo, cui Fridericus I. Imp. portionem Ducatus Angariae & Weſtphaliae Vexillo *** detulit. Durauit autem Inueſtitura cum *Sceptro* & *Vexillis* promiſcue ad tempora Friderici III. * vti ex certis monimentis conſtat. Sub Maximiliano I. Vexillariae Epiſcoporum mihi ſaltim notae Inueſtiturae, ** *Sceptro* factam nullam reperi, nec tamen denego, quod & de Caroli V. Imperio exiſtimandum. Ferdinando I. & Maximiliano II. A. A. inualuit magis in *Camera* Inueſtitura, cumque Praeſules Eccleſiaſtici poteſtate profana pares ſint ſecularibus Principibus, ſimilis demum inueſtiendi ritus fuit introductus, qui hodie ab Auguſtisſimo Imperatore per Enſem Imperialem peragitur, *** cuius cono Epiſcopi & Prae-

Praelati Germani horumque Procuratores more ceterorum Principum Imperii oſculum figunt, vt adeo noſtris temporibus quoad modum conferendi inter Feuda *Sceptri* & *Vexilli* nulla amplius differentia ſuperſit.

* Vti patet EX IVRE FEVDALI ALEMANNICO *Cap. XLII.*

** Compara Illuſtris STRVVII *Syntagma Iur. Publ. Cap. XVIII. §. X. XI. p. 831. 834.*

*** Vide DIPLOMA apud LVNIGIVM Archiui Imperii *Part. Spec. p. 434.*

* De Inueſtitura per Sceptrum exempla *§. XV.* allata. De alia vero per Vexilla in Comitiis Auguſtanis 1473. ab eodem facta, ex Actis teſtimonium tulit celeberrimus Vir IOAN. IOACHIMVS MÜLLERVS egregio *Comitiorum ſub Friderico III. habitorum Theatro V. Vorſtell. p. 538.*

** Quales diligenter indicauit, quem iam laudauimus, ampliſſimus MVLLERVS *Theatro Comitiorum ſub Maximiliano I. Part. I. II. Vorſt. p. 510. ſeqq.* vbi tres Archi-Epiſcopi Moguntinus, Colonienſis, Treuirenſis *Vexillis* inueſtiti, licet in ſolemnitate illa, adfuerit Sceptriger Legatus Electoris Brandenburgici.

*** V. illuſtris B. G. STRVVII *Iurisprudentiam Feudalem Cap. XI. §. VI. p. 317.* & quos ibi excitauit plures.

## §. XVII.

Sed hoc, antequam ad alia progrediamur, curatius perueſtigandum, cur, inter tot Symbola, olim in Inueſtituris bonorum & iurium Eccleſiis conceſſorum, frequentata, * *Sceptri* ſignum placuerit *tranſigentibus.* Qui in eruditiſſima de *Feu-* — Coniectura cur maxime Sceptri ſignum adhibitum.

*dis*

*dis Vexilli* Diatriba ** *Sceptri* haec Feuda attigit illuſtris GVNDLINGIVS, erudite obſeruauit a Calixti II. P. R. voluntate hocce Symbolum eſſe profectum, qui ea de cauſa per *Sceptrum* Inueſtituram fieri voluerit, quia in Italiae ſolo, hac tempeſtate, Principatus maiores *Sceptro* fuerint collati. Docta fatemur eſt ICti eruditisſimi coniectura, quam firmat laudatum ex ROBERTO de MONTE ad an. 1181. exemplum Wilhelmi Siciliae Regis, qui filium recens natum Boamundum de Ducatu Apuliae, per aureum Sceptrum, quod in manu gerebat, inueſtiuit. At enim vero, optarem adduxiſſet plura tempore Transactionis factae per *Sceptrum* Inueſtiturae exempla, quum bina illa, quae allata ſunt, quod pace Illuſtris Viri ſcribimus, Caſtrucii nimirum, de Lucano Ducatu & Vexilliferatu *Sceptro* an. 1328. inueſtiti, & Borſi Ferrarienſis Ducis, qui a Paulo II. P. R. per *Sceptrum* Ducatum accepit, recentiorum ſint temporum, nec de ritibus aeui Calixtini iuſtum ferre poſſunt teſtimonium, ex vnico vero illo Regis Siciliae actu, ad vniuerſalem vſum facere argumentum ſubdubitamus. Liceat igitur nobis, aliam, iudicio doctisſimorum Virorum, ſubmittere coniecturam, quam Epiſcopalium Inueſtiturarum, circa ea tempora, quibus introducta per Sceptrum Inauguratio, vſitatarum, conſideratio ſuggesſit. Sicuti enim mihi videtur, non in ſola Pontificis voluntate ſtetit praeſcribere ſymbolum in pacto. Fortasſis vtrique tranſigentium

placuit,

placuit, retinere receptos vſque huc inueſtiendi Eccleſiaſticos cumprimis Italiae, de bonis, ritus. Iam vero Henricus IV. Imp. pater Henrici V. an. 1082. *Tridentinum* Epiſcopum Henricum I. Caſtello cognomento Caſtellarium prope Mantuam, per *Lignum* quod in manu ſua gerebat inueſtiuit, de qua caeremonia legi meretur narratio, *** ad perpetuam rei memoriam tum conſcripta, quae ſequens eſt: *Dum in Dei nomine foris, & non multum longe Vrbium Verone in Caſa ſollariata, que eſt edificata prope Monaſterium S. Zenonis in iudicio reſideret Dominus Tertio Henricus Dei gratia Rex, ad iuſtitias faciendas ac deliberandas adeſſent cum eo Litaldus dux, Bonifaci Comes, Conradus Iſuardo Cadalo, Aldegerius, Vardus, Luthari Arpo Iudices, Ioannes Gero de Topaldo, Beraldo Erizo, Girardo de Coruiaga, Herizo de Verona, Magnifredus, & reliqui plures; Ibique eorum preſentia venientes Dominus Henricus Tridentinus Epiſcopus, & Gotbifredus Iudex Advocatus eius retulerunt & ceperunt dicere, ac poſtulare mercedem: Petimus vobis Dominus Henricus Rex, vt propter Deum, & anime veſtre mercedem inueſtiatis nos agentes ex parte S. Vigilii Tridentine Eccleſie de curte vna, que nominatur Caſtellario cum omni ſua pertinentia, iacente in Italico Regno, iuſta Mantuanas fines, cum ipſe dominus Henricus Epiſcopus, & Gotfredus eius Aduocatus taliter petiſſent mercedem, tunc ibi locutus per Iudicum conſilium, qui ibi aderant, & per* LIGNVM, QVOD PREDICTVS DOMINVS HENRICVS REX IN SVA TENEBAT MANV INVESTIVIT *praedictum Henricum Epiſcopum, &*

*Gotfredum Aduocatum eius, & Tridentinam Eccleſiam ſicut hactenus inueſtiti fuerunt; & inſuper miſit bannum ipſe dominus Henricus Rex ſuper eos, & ſuper iam dictam Curtem in penam centum libras auri, vt nullus quislibet homo inquietare, aut moleſtare, vel diſueſtire audeat ſine legali iudicio; qui vero hoc fecerit predictas centum libras auri ſe compoſiturus cognoſcat, medietatem cameram noſtram, & medietatem predicto Henrico, & Aduocato Gotfridus, ſuisque ſucceſſores ex parte iam dicta Eccleſia, finita eſt cauſa. Et hac noticia pro ſecuritate eidem Epiſcopus, & Eccleſie Tridentine fieri amonuerunt, quidem & ego Ioannes qui & Waldo Notarius ſacri Palatii ex iusſione ſupradicto domino noſtro Henricus Rex, ſeu iudicum amonuitionem ſcripſi. Anni ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo octuageſimo ſecundo, Regnante ſupraſcripto Domino noſtro Henrico Dei gratia Rex hic in Italia ſexto & XV. die menſis Nouembris Indictione quinta. Ego Henricus Dei gratia Rex. Egregie Huunſlci dux iudex. Ego Iſuardus Iudex interſui. Ego Arpo Iudex interſui. Anno Domini 1215. Indictione 3. die Dominico 16. exeunte Auguſto. Ego Ercetus Domini Friderici Romanorum Imperatoris Notarius authenticum huius vidi, legi, & exemplaui, & me ſubſcripſi, & ſignum meum appoſui, nihil addens, vel minuens, quod ſenſum mutet vel ſententiam.* Hanc autem per *Lignum*, per *Virgam*, per *Fuſtem*, quem in manu tenebat Dominus directus inueſtiendi Eccleſiaſticos ceremoniam obſeruauimus & antiquioribus temporibus, Ottonis III. Imp. & Reg. Italiae, qui A. 996. *in iudicio in Generali Placito foras porta Sancti Laurentii infra*

*infra Palatius Domni Regis*, vt verba narrationis **** barbare tum conſcriptae habent, *per* VIRGAM *quam in ſuis detinebat manibus*, *& miſit in manu praedictum Abbatem eum inueſtiuit & ſtatim ora miſit bandum ſupra caput denominati Abbatis & ſupra ipſas res vt nullus ſit auſus eum diſueſtire ſine legali iudicio &c.* Quid vetat aſſerere per hocce *Lignum*, per *Virgam*, per *Fuſtem* intelligendum eſſe *Baculum Iurisdictionis*, qui teſte CAROLO du FRESNE voce *Baculus*, Imperii nota fuit praecipua, adeo, vt eius traditione Regia dignitas reſignaretur, fueritque Baculi traditio Inueſtiturae Symbolum. Hic Baculus forte ad ſimilitudinem *Sceptri* efformatus in Conuentu Wormatienſi de Symbolo Inueſtiturae litigantibus, occaſionem dedit *Sceptrum* ſubſtituendi. *Baculos* vero *Iuſtitiae* ſimilitudinem *Sceptri* habuiſſe antiquitas * docet. Docet maxime, *Sceptrum* alterum Regni Franciae, *Manus Iuſtitiae* (main de iuſtice **) dictum, in Theſauro S. Dionyſiano adſeruatum, quod Regi in ſolenni Inauguratione in ſiniſtram manum datur. Talem vero *Baculum Iurisdictionalem* per *Lignum* quod Rex in manu ſua tenebat, intelligi poſſe, Charta *** Henrici V. Imp. ſub quo Inueſtitura per *Sceptrum* orta, clariſſime docet. Sed haec copioſius expoſita, firmandae coniecturae, quam nemini obtrudimus, ſufficiant. In *Germaniae* Regni *Inueſtituris* Principum *Secularium* quorundam cum *Vexillis*, Symbolum quoque *Sceptri* quandoque fuit adhibitum. *Albertus* enim I. *Rex Romanorum*,

*rum*, Filiis ſuis, *Rudolpho*, *Friderico*, *Lupoldo*, & ceteris apud *Nürembcrch*, Terras *Auſtriacas*, cum *Vexillis* & ſolemnitate debita & conſueta conceſſit in Feodum ac ipſos *Ceptro regio* inueſtiuit An. 1298. † *Ludouicus* porro *IV.* Imp. Filium *Ludouicum Romanum*, de *Brandenburgenſi* Marchionatu & Officio *Archi-Camerarii* inueſtiuit per *Sceptrum Regale* cum *Vanulis* & *Vexellis*, vt moris eſt, An. 1328. †† Idem fecit *Carolus IV.* Imp. An. 1348. Duces *Auſtriae*, *Sceptro* ſuo *Regali* inueſtiens. †††.

* De quibus du FRESNE voce: *Inueſtitura*, copioſe, qui tamen quod mireris, paucula de Inueſtitura cum Sceptro habet.

** *§. XX. p. 24.*

*** Extat apud VGHELLVM *Tom. V. p. 594.*

**** Quam cum aliis egregiis huius argumenti reperi in *Trattato delle Antichità Eſtenſe ed Italiane*, eruditiſſimi Viri LVDOVICI ANTONII MVRATORII, qui prodiit *in Modena 1717. f. p. m. 188.*

* Confer. omnino Dominus du CANGE *Gloſſario* voce *Baculus.*

** De qua legendus IOAN. LIMNAEVS *Notitia Regni Franciae L. II. Cap. IV. pag. 367. 368.*

*** Quam exhibet MVRATORIVS *Antiquitatibus Eſtenſibus p. m. 283.*

† *Diploma* extat in DV MONT. *Corps Diplomatique* T. I. p. 314.

†† Vide *Literas*, apud LÜNIG *Corpore Iur. Feud. German.* T. I. p. 619.

††† DV MONT *Corps Diplomatique* T. I. P. I. p. 247.

CAPVT

# CAPVT SECVNDVM.

DE

# NATVRA ET INDOLE FEVDORVM SCEPTRI. *

## §. I.

Feuda Sceptri ſunt Feuda Secularia.

*Feuda* haec *Sceptri* vti iam innuimus, ſunt *Feuda Imperii Regalia*, *proprie vereque ſecularia*, ** & antequam largitione Regum vel Impp. oblatione fidelium, in manus Eccleſiaſticorum deuenere, *ad Regnum manifeſte pertinuerunt*, vti ipſe acerrimus Iurium Auguſtalium oppugnator Pontifex PASCHALIS II. profitetur Pacto *** anno 1110. cum Henrico V. de Inueſtituris Epiſcoporum inito, apertisſime ſcribens: *Tibi itaque Henrice Rex & Regno, Regalia illa dimittenda praecepimus*, quae ad Regnum manifeſte pertinebant, *tempore Caroli, Ludouici, Ottonis, & caeterorum praedeceſſorum Tuorum. Interdicimus etiam & ſub anathematis diſtrictione probibemus, ne quis Epiſcoporum ſeu Abbatum praeſentium & futurorum, eadem Regalia inuadant, id eſt, Ciuitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, Telonia, Mercatum, Aduocatias, Iura Centurionum, & Turres quae Regni erant, cum pertinentiis ſuis, Militiam & Caſtra, & ne ſe deinceps, niſi per gratiam Regis de ipſis Regalibus intromittant.* Conſentiunt ORATIO * *Archi-Epiſcopi Treuirenſis*,

 Prin-

Principis Legatorum Henrici V. Imperatoris, ad eundem Paſchalem II. habita, & qui Imperio noſtro parum vtilis fuit S. BERNHARDVS Claraeuallenſis Abbas, ingenuus tum, cum ſcriberet: ** *Duplex eſt dominium Praelatorum. Habent enim Claues Eccleſiae, quibus claudunt & nemo claudit. Habent & Regalia, quia domini ſunt Vrbium, Oppidorum. Nec ſolum Epiſcopatus, ſed & Conſulatus* (Iurisdictiones, Aduocatias,) *habent.*

* Otium fere heic nobis fecit magnorum meritorum ICtus IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS doctiſſima de *Feudis Eccleſiaſticis* Diſſertatione, *Iuris Eccleſiaſtici Libro III. cap. XX.* poſtmodum inſerta, ſpicilegium tamen reliquit.

** Nota quidem eſt Diuiſio Feudorum Imperii Regalium in Eccleſiaſtica & Secularia, ſed qui ita diſtinguunt, non ad obiectum, ſed qualitatem vaſalli reſpiciunt.

*** Extat apud DODECHINVM ad annum *1110. 1111.*

* Extat apud SVGERIVM *Vita Ludouici Groſſi* inter FRANCISCI du CHESNE *Scriptores Rerum Francicarum Tom. IV. p. 289.*

** *Sermone ad Paſtores,* in fine.

## §. II.

Domini Directi Feudor. Sacri Impp. hisque Epiſcopi obligati.

Licet autem horum Bonorum, *quae manifeſte ad Regnum pertinent*, vtile Dominium, ceſſa Pontifici per Annulum & Baculum Inueſtitura, cum dimittere ad Henrici V. Imp. voluntatem noluiſſent Praeſules, iisdem fuerit relictum, ſeruata tamen optimo maximo Iure Auguſtis noſtris & Imperio per

per Tranſactionem anni 1122. dominium dirigens, & relationes inter Dominum ac Vaſallos Epiſcopos aeterno vinculo roboratae fuerunt, clariſſimis verbis: *Electus autem Regalia per Te recipiat, & quae ex his iure Tibi debet, faciat.* Fidem quoque & Protectionem dominicam Auguſtorum, tanquam Dominorum & Aduocatorum, Epiſcopi probe ſenſerunt.

## §. III.

His ita poſt tot cruentas etiam concertationes conſtitutis, ab anno 1122. vsque ad Seculi XV. tempora, per *Sceptri* inſigne, & poſt ea, mutatis ritibus, Vexilla & Gladium, Auguſti, ſuo & Imperii nomine, Praeſules inueſtiunt, cum *Temporalitate*, ſiue prouti hodie patrio ſermone exprimitur: *mit der Ertz und Stiffte Weltlichkeit, Regalien, Obrigkeit, Iurisdiction, Chur- und Fürſtlichen Würden* &c. Formulas varias ſucceſſu temporum ſubinde auctas & amplificatas, quibus hae *Temporalitates* collatae ex Litteris Clientelaribus collegit illuſtris STRVVIVS * nobiſque otium fecit. Liceat tamen vnum & alterum de noſtris addere. Sic in Henrici IV. Imp. DIPLOMATE, ** de Inueſtitura *Ambroſio II. Bergomenſi* Epiſcopo anno 1041. conceſſo, vocantur: *noſtra Regalia & Magnitudines* & in DIPLOMATE, *** Friderici I. Imp. de anno 1156. *Regalia & Magnitudines de Comitatu Pergamenſi.* Otto IV. Imp. *Wolfcherio* Aquileienſi Patriarchae DIPLOMATE **** de anno 1210.

Impp. Epiſcopos inueſtiunt cum Temporalitate & Regalibus.

1210. confirmat: *Ducatum Fori Iulii cum omni iure & pertinentiis ſuis, & ſanguinolentum denarium ſcilicet feritas, plagas, vulnera, homicidia, furta quoque maleſitia, quae ad correctionem & bannum Principum ſpectare noſcuntur.* Fridericus III. Imp. anno 1469. *Ioanni* Epiſcopo Tridentino confert: *Regalia, Principatus, Feuda, Dominium, Iura, Iurisdictiones, & Temporalitates, cum mero & mixto Imperio, ac etiam exercitio Iurisdictionis temporalis, Feudis conferendis, dominiis, nec non ſuis iuribus, honoribus, conſuetudinibus, obſeruantiis & pertinentiis.* Et quis omnes ſingulares Formulas exſcriberet, quas praebent Diplomata, Litterae Clientelares, Chartae, Acta Publica, quorum inſignem apparatum exhibent Vghelli Italia Sacra, Codex Diplomaticus Italiae Lunigianus, Scriptores, dignae omnino quae excutiantur a Cultoribus Iuris Feudalis vtriusque, ac inſignem lucem allaturae, ſi quis, poſt *Rhetianas* & *Bitſchianas* curas, Placitorum Feudalium Longobardicorum, deſideratam tantopere interpretationem ſuſcipere vellet.

* *Iurisprudentia Feudali* quae Compendii figura, iterum edita, plura tamen quam multorum vaſta Volumina refert, *Cap. IV. p. 77. ſeqq.*

** Apud VGHELLVM *Tom. IV. p. 444.*

*** Apud EVNDEM, *Tomo citato, p. 464.*

**** Ex Codice MSC. doctisſimi APOSTOLI ZENI inſeruit NICOL. COLETVS *Additionibus ad Vghelli Italiam Sacram Tom. V. p. 78.*

§. IV.

## §. IV.

Splendent itaque praeter ordinarias Eccleſiae dignitates, Epiſcopi Germaniae ac Italiae Regnorum, tanquam Vaſalli Auguſti & Imperii propter haec Feuda *Sceptri*, Ducum, Principum, Landgraviorum, Marchionum, Comitum * Titulis & Praerogatiuis. *Fridericus* Brixienſis Epiſcopus Electus, antequam munus Conſecrationis reciperet, Titulum ** gerit: *Confirmatus Marchio, Dux & Comes.* Plura quae ad manus ſunt, nolo addere, res enim eſt certa. F. Sceptri Poſſeſſores ſunt Principes Seculares.

* Germanorum Praeſulum exempla vide in illuſtris STRVVII *Iur. Publ. Prudentia, C. XVIII. p. 432.*

** In CHARTA apud VGHELVM *Tom. IV. p. 551.*

## §. V.

Propter haec ampliſſima Bona & his annexa eminentia Iura, Auguſtis & Imperio, Praeſules, ad ſpecialem Fidem feudalem, praeſtandumque cum *Vaſallagium*, tum etiam, quia ſimul ſubditi *Homagium* ſunt obligati. Haec licet quandoque ob ſingularem in ordinem Eccleſiaſticam fauorem, remiſſa fuerit praeſtandi *Homagii* neceſſitas, * id tamen libera voluntate & gratia, ſine fraude ſucceſſorum factum. Grauiſſime ius exigendi ab Epiſcopis *Hominium* tutatus eſt, Fridericus I. Ahenobarbus, qui, cum *Hadrianus IV. P. R. quod ab iis, qui DEI ſunt & filii Excelſi omnes*, (Epiſcopis videlicet) *Homa-* Sunt ad Vaſallagium & Homagium praeſtandum obligati.

E *magium*

*gium requireret, Fidelitatem exigeret & manus eorum ſacratas manibus ſuis innecteret*, grauiter ferret, *& reſipiſce, reſipiſce, tibi conſulimus*, ingeminaret, minasque adderet: *quia dum a nobis conſecrationem & coronam merueris, dum inconceſſa captas, ne conceſſa perdas, nobilitati tuae timemus.* At non erant inconceſſa Pontifex. Anteceſſor tuus Calliſtus II. pacto ſupra relato, Auguſta iura agnoſcens addiderat: *quae ex his* (Regalibus) *iure tibi debet, faciat.* Qua propter Fridericus maieſtate plenus Pontifici reſcribebat: ** *Ab iis autem qui DEI ſunt per adoptionem & Regalia noſtra tenent, cur Homagium & regalia ſacramenta non exigamus? Cum ille noſter & veſter inſtitutor, ab homine rege nihil accipiens, ſed omnia bona omnibus conferens, qui pro ſe & Petro cenſum Caeſari perſoluit, & exemplum vobis dedit, vt ita faciatis, doceat vos dicens:* Diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde. *Aut igitur Regalia noſtra nobis dimittant, aut ſi haec vtilia iudicauerint, quae Dei Deo, quae Caeſaris Caeſari, perſoluant.* Et paucis interiectis: *Humilitatis autem, quae eſt cuſtos virtutum, & manſuetudinis veſtrae non minimam notam inuritis, cum huiusmodi quaeſtiones religioni non multum conferentes, ſecularibus perſonis proponitis.* Ab hoc tempore, inueſtiendi Praeſules, cum Vaſallagio, Homagium *** lubentes praeſtiterunt & ſecundum iura Pontificia * quoque debent, quo iisdem cum ſecularibus Vaſallis, formulis, reuerentiam, fidem, ſubiectionem & ſeruitia iurato profitentur, quae omnino *ea* ſunt, quae ſecundum verba Transactionis *fa-*

nis *facere debent*. In colliſione autem officiorum ex duplici iuramento Imperatori & Pontifici praeſtito, oriundorum, ea agant, quae ad ſalutem ac incrementa Auguſti & Imperii faciunt, quorum liberalitate, eorum res in tantam magnitudinem, quam tot annorum poſſesſione & legibus confirmatam, ipſis non inuidemus, excreuerunt.

* Exempla indicaui in mea Diſſertatione de *Iuramentis Principum Eccleſiaſticorum* §. *XXXIV. p. 49.*

** Extant vtraeque EPISTOLAE in *Appendice* incerti Auctoris ad RADEVICVM *de Geſtis Friderici I. Imp.* in Collectione Vrſtiſiana *p. 562. 563.*

*** Cuius Formulam ex monimentis illuſtratam dedi citata Diſſertatione de *Iuramentis Epiſcoporum Germaniae* §. *XXXV. p. 50.*

* *c. 30. X. de Iurei. cap. un. de ſtatu reg. in 6.*

## §. VI.

De *Tempore ſuſcipiendae Feudorum Sceptri Inueſtiturae*, pacto Calixtino quoque definitum. Quod equidem *Feuda Sceptri Teutonici Regni* attinet, in deſignato per leges & conſuetudines Feudales tempore, anni & diei, nihil mutarunt paciſcentes, quod a die electionis Epiſcopalis vel Abbatialis eſt computandum, ſique controuerſa electio, ab eo tempore, quo cauſa definitiue deciſa fuerit. Solent tamen ſi legitima impedimenta probentur, Indulta multoties ſaepe repetita, concedi. Mutationem tamen aliquam, circa *Feuda Sceptri aliarum Imperii* *R. G.*

Tempus ſuſcipiendae F. S. Inueſtiturae.

*R. G. prouinciarum* factam deprehendimus, Transactionis hiſce verbis: *Ex aliis vero partibus Imperii* (quae de Italiae & Arelatenſi Regnis accipienda) *conſecratus intra ſex menſes Regalia per Sceptrum a te recipiat.* Qua propter tempus a Conſecrationis momento numerandum. Differebant quoque *Feuda Sceptri* Germaniae & ceterarum partium in eo, quod, vti iam vidimus, electi Italiae *poſt Conſecrationem*, Germaniae *ante hunc ritum* eccleſiaſticum, inaugurationem de Regalibus, petere & ſuſcipere debeant. Enimuero ſcribit * OTTO *Friſingenſis*, ipſe Epiſcopus & vnus e curiae Paribus, optimus teſtis: *Tradit Curia, & ab Eccleſia, eo tempore, quo ſub Henrico V. de Inueſtitura Epiſcoporum deciſa fuit inter Regnum & Sacerdotium controuerſia, ſibi conceſſum autumat, quod obeuntibus Epiſcopis, ſi forte in eligendo partes fiant, Principis arbitrii eſſet, Epiſcopum quem voluerit ex Primorum ſuorum Conſilio ponere: nec electum aliquem conſecrandum, quam ab ipſius manu Regalia per Sceptrum* ſuſcipiat. Quae quidem conditio arcanis de cauſis ** mutata, Grauaminibus occaſionem dedit.

* De *geſtis Friderici I. Imp. Lib. II. c. VI.*

** Vide illuſtris STRVVII *Hiſtorie der Religions-Beſchwerden, Part. I. p. 357.* vſum hodiernum vide annotatum in *Compendioſa Introductione ad Praxin Auguſtiſſimi Iudicii Caeſareo-Imperialis Aulici Sect. II. Cap. I. p. 216.*

§. VII.

## §. VII.

F. S. Poſſeſſorum obligatio ad Seruitia.

*Seruitia* quoque *militaria* & *onera* hisce Feudis nexa praeſtiterunt. Licet enim Bona Eccleſiaſtica magnis immunitatibus gaudeant, Feuda tamen haec, quae ſecularis ſunt naturae, ad conſeruationem ſalutis publicae ea conferre debent, quae antiqui poſſeſſores fecere, qua de cauſa & *Quantum Matriculare* aliaque Imperii noſtri onera conferunt, mediique aeui temporibus, Expeditionibus maxime Romanis, ipſimet Epiſcopi Feudorum Sceptri & Vexilli poſſeſſores, non militiae Imperiali tantum interfuerunt, ſed ordines etiam quandoque duxerunt. *

* Teſtis eſt GVNTHERVS *Ligurino Lib. II. v. 40. ſeqq.* IDEM *Lib. VIII. v. 318.* OTTO *Friſingenſis Lib. II. Cap. XII.* add. Illuſtres ICti, Dominus de LVDEWIG, *Commentar. ad A. B. T. II. p. 1181.* I. H. BÖHMERVS *I. E. L. III. T. XX. §. 74. ſeqq.*

## §. VIII.

Ad *ea* quoque *quae* vi Transactionis Iure Auguſtis *facere debebant*, olim pertinebat, *Ius Annatarum*, & fructus vacantis Eccleſiae bonorum percipiendi, capiendi *exuuias defunctorum Epiſcoporum*, quod Manus mortuae Ius vocant, quae minimam Iuris Auguſti Scintillam apud ARNOLDVM *Lubecenſem* * appellat Fridericus I. Imp. quam ſe inueniſſe & nunquam mutari permiſſurum generoſe pronuntiat. Sed hisce opimis iuribus Otto IV. renuntiauit ea-

demque inter abuſus, male edoctus, referens Fridericus II. Imp. a ſe abdicauit. **

* *Lib. II. Chronici Slauorum Cap. XVII. §. 5.* ** STRVVII *Syntag. I. P. Cap. X. §. VII. p. 503.*

## §. IX.

Iudex Controuerſiarum de F. S. quis. *Controuerſiae Feudorum Sceptri*, ſecundum mores aeui, quo orta & maxime floruerunt, vti aliorum Feudorum Imperii ſecularium coram *Iudicio Principum* * tractatae, cognitae, deciſae, cuius Praeſes & ſummus Iudex Auguſtus fuit. De Curiali vſu Italiae Regni GVNTHERVS Poeta hiſtoricus ** teſtatur.

*Inter Vaſallos vnius forte Patroni*
*Quaeſtio de Feudo quoties agitatur eodem*
*Quo Feudi Domino gaudent, hoc Iudice certent.*

Non tamen eo tempore excludere debuiſſet Conuaſallos Pares curiae Iudices, Poeta. Enimvero ipſe Fridericus I. Ahenobarbus cuius geſta canit, DIPLOMATE *** cuius Datum apud Bamberg anno Dominicae Incarnationis MCLIII. Indict. I. 8. Cal. Mai. fatetur: *qualiter controuerſia inter venerabilem Ardicionem S. Cumanae Eccleſiae Epiſcopum, & homines de Clauenna ſuper Comitatum & Diſtrictum eiusdem Clauennae diu agitata in Palatio Bambergenſi per ſententiam Principum ſua auctoritate confirmata, deciſa & terminata*

*minata ſit.* A temporibus tamen Caroli V. & Ferdinandi I. A. A. Iudicium cauſarum Feudorum Regalium, ſi de toto Feudo contentio, penes Auguſtos horumque Iudicium Aulicum fuit, *

* SYNTAGMA I. P. STRVVIANVM *Cap. XXIV. §. XXII. XXIII. p. 1132. ſeqq.*

** *Ligurino Lib. VIII. v. 630.*

*** Extat apud VGHELLVM *Italiae Sacrae Tom. V. p. 292.*

* ORDIN. CAMERALIS *Part. II. Tit. VII.*

§. X.

*Delinquentes* in Auguſtum & Imperium *Vaſalli Feudorum Sceptri* poſſeſſores, priuatione Feudorum & adhaerentium dignitatum ſecularium puniti. Poenis, quae perſonam tangunt, adfectorum Epiſcoporum rara in monimentis exempla, propter auctoritatem & muneris ſacri nimiam reuerentiam, in cuſtodiam datos cumprimis in ciuilibus turbis, multos ſcimus. Ob turbatam pacem publicam hoſtes Imperii declarati Feudorum quidem & honorum ciuilium iacturam fecere, non vero Eccleſiaſticorum, qui a Pontificis R. confirmatione & iudicio dependent, cuius diuerſitatis cauſae in Transactione anni 1122. ſaepius excitata, latent. Poenae Vaſallor. F. S.

§. XI.

Atque haec quidem omnia, quod ad Germanae Regni Feuda Eccleſiaſtica, Sceptri dicta, pertinet,

tinet, in hunc diem magna ex parte recte ſe habent, qualis vero Feudorum Regalium Eccleſiaſticorum Italiae Regni & ceterarum Imperii partium ſit Status nos ignorare, ingenue profitemur. Id autem magna pietatis contentione optamus: Faxit rerum humanarum arbiter, vti Auguſtiſſimo Imperatori CAROLO VI. maximo iurium Auguſtorum in Germania ac Italia Vindici & Amplificatori, tranquilla contingant auſpicatiſſimi Imperii tempora, apta parandis maioribus Vindiciis, perclementerque efficiat, vt, quod ſub Ottone M. Germaniae acceſſit Italiae Regnum, & a Friderico I. & Henrico VII. A. A. ſeruatum fuit Carolo VI. imperante, plenis in Sacris & Ciuilibus Iuribus inſtauratum videamus.

F I N I S.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE